



# The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **DORUMAËNSIS\*** PRAEFECTURA APOSTOLICA  
DORUMAËNSIS

AD GRADUM DIOECESIS ATTOLLITUR. Haud multum est temporis ex quo, per apostolicas sub plumbo  
datas litteras quarum prima verba «Qui cotidie», praefectura apostolica Dorumaënsis condita est  
curisque atque actuositati sodalium Ordinis Fratrum Sancti Augustini concredita; quod die quarto  
et vicesimo mensis maii, anno millesimo nongentesimo sexagesimo, factum est. Cumque autem  
feliciter ea in Ecclesia res catholicae floruerint spesque optima sit fore ut in posterum tempus vel  
magis floreant, visum est Nobis sive plurimum utilitatis eiusdem terrae incolis provenire sive Sancti  
Augustini Fratribus posse animum ad maiores pro Christi evangelio sustinendos labores addi, si,  
iuxta Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam, dioecesum numero eam Sedem  
ascriberemus. Audito ideo hac super re venerabili Fratre Ioanne Baptista Maury, Archiepiscopo  
titulo Laodicensi in Phrygia et in Congo Nuntio Apostolico, sequentia decernimus ac iubemus.  
Praefecturam apostolicam *Dorumaënsem* ad dignitatem dioecesis evehimus, nomine finibusque  
immutatis, cunctis datis iuribus atque privilegiis ex iure canonico promanantibus. Caput novae  
dioecesis, quae Ecclesiae metropolitanae Kisanganiensi subicietur tamquam suffraganea, urbs  
vulgo Doruma erit; Episcopi vero cathedra in principe eiusdem urbis templo. Curet praeterea  
Episcopus ut, Canonicorum loco, consultores dioecesanos deligat, ut sibi apte subveniatur. Ad  
cetera quod attinet, praescripta codicis Iuris Canonici ad amussim serventur. Ea demum quae  
praescripsimus ut ad exitum adducat curet venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury, quem  
diximus, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui autem negotium perfecerit, congrua documenta ad  
Sacram Congregationem de Propaganda Fide quam primum mittat, de more signata sigilloque  
impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita  
quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim  
suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta  
officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis  
Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et  
locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica  
dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda  
erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto et vicesimo mensis  
septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quinti.*

*Pro S. R. E. Cancellarius*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

*S. Congr. de Prop. Fide Praefectus*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Del Ton, Protonot. Apost.*

Eugenius Svevi, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LX (1968), n. 4, pp. 184-185 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana